

DOMINICA XX « PER ANNUM »

Ant. ad introitum

Ps 83, 10-11

Protéctor noster, áspice, Deus,
et résdice in fáciem Christi tui,
quia mélior est dies una in átriis tuis super mília.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui diligéntibus te bona invisibilia præparásti,
infúnde córdibus nostris tui amóris afféctum,
ut, te in ómnibus et super ómnia diligéntes,
promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant,
consequámur.

Per Dóminum:

Anno A

Lectio prima

Filios advenæ adducam in montem sanctum meum.

Léctio libri Isaiae prophétæ

56, 1. 6-7

Hæc dicit Dóminus: « Custodíte iudícium, et fácite iustítiam, quia iuxta est salus mea ut véniat, et iustitia mea ut revelétur.

Et filios advenæ, qui adhérēnt Dómino, ut colant eum et díligant nomen eius, ut sint ei in servos; omnem custodiéntem sábbatum ne pólluat illud et tenéntem foedus meum,

addúcāt eos in montem sanctum meum et lètificábo eos in domo oratiónis meæ; holocáusta eórum et víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo, quia

domus mea domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsoriū Ps 66, 2-3. 5. 6 et 8 (R.: 4)

R. Confiteántur tibi pópuli, Deus,
confiteántur tibi pópuli omnes.

¹ Deus misereártur nostri,
et benedicat nobis;
illúminet vultum suum super nos.

³ Ut cognoscátur in terra via tua,
in ómnibus géntibus salutáre tuum. R.

⁵ Lætentur et exsúltent gentes,
quóniam iúdicas pópulos in æquitáte,
et gentes in terra dírigis. R.

⁶ Confiteántur tibi pópuli, Deus,
confiteántur tibi pópuli omnes.

⁸ Benedícat nos Deus,
et métuant eum omnes fines terræ. R.

Lectio secunda

*Sine pænitentia sunt dona et vocatio Dei
erga Israel.*Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romáños
11, 13-15. 29-32

Fratres:

Vobis dico géntibus: « Quantum quidem ego sum géntium apóstolus, ministérium meum honorífico si quo modo ad æmulándum próvocem carnem meam et salvos fáciam áliquos ex illis.

Si enim amíssio eórum reconciliátio est mundi, quæ assúmptio nisi vita ex mórtuis?

Sine pænitentia enim sunt dona et vocatio Dei.

Sicut enim aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem,

ita et isti nunc non crediderunt propter vestram misericordiam, ut et ipsi nunc misericordiam consequantur; conclusit enim Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur ». — Verbum Domini.

Alleluia

Mt 4, 23

R. Alleluia. *y.* Prædicabat Iesus Evangeliū Regni, et sanabat omnem infirmitatem in populo.
R. Alleluia.

Evangelium

O mulier, magna est fides tua!

† Léctio sancti Evangelii secundum Matthæum
15, 21-28

In illo tempore:

Egrēssus Iesus de terra Gennésaret, secéssit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce muller Chananæa a finibus illis egrēssa clamavit dicens: « Miserere mei, Dómine, fili David: filia mea male a dæmonio vexatur ». Qui non respóndit ei verbum.

Et accedentes discípuli eius rogabant eum dicentes: « Dimítte eam, quia clamat post nos.

Ipse autem respóndens ait: « Non sum missus nisi ad oves quae periérunt domus Israel ».

At illa venit et adoravit eum, dicens: « Dómine, ádiuva me ».

Qui respóndens ait: « Non est bonum súmtere panem filiorum et mitttere catelliis ».

At illa dixit: « Etiam, Dómine, nam et catelli edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum ».

Tunc respóndens Iesus, ait illi: « O muller, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis ». Et sanata est filia illius ex illa hora.

Verbum Domini.

Anno B

Lectio prima

Comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.

Léctio libri Proverbiorum

9, 1-6

Sapiéntia ædificavit sibi domum, excidit colúmnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum et propósuit mensam suam; misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis: « Si quis est párvulus, véniat ad me ».

Et insipiéntibus locuta est: « Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis; relinquit infántiam et vivite et ambuláte per vias prudéntiae ». — Verbum Domini.

Psalmus responsoriū

Ps 33, 2-3. 10-11. 12-13. 14-15 (R.: 9 a)

R. Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

2 Benedicam Dóminum in omni tempore,
semper laus eius in ore meo.

3 In Dómino gloriabitur áнима mea,
áudiant mansueti et lætentur. R.

10 Timéte Dóminum, sancti eius,
quóniam non est inópia timéntibus eum.

11 Dívites eguerunt et esuriérunt,
inquiréntes autem Dóminum
non defícient omni bono. R.

- ¹² Veníte, filii, audíte me:
timórem Dómini docébo vos.
- ¹³ Quis est homo qui vult vitam,
díligit dies ut videat bonum? **R.**
- ¹⁴ Próhibe línguam tuam a malo,
et lábia tua ne loquántur dolum.
- ¹⁵ Divérte a malo et fac bonum,
inquié pacem et perséquere eam. **R.**

Lectio secunda

Intellegite quæ sit voluntas Domini.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios

5, 15-20

Vidéte, fratres, caute quómodo ambulétis, non qua-
si insipiéntes sed ut sapiéntes, rediméntes témpus, quóniam
dies mali sunt. Proptérea nolíte fíeri imprudéntes,
sed intellégite quæ sit volúntas Dómini.

Et nolíte inebríári vino, in quo est luxúria, sed
implémini Spíritu, loquéntes vóbismet ipsis in psalmis
et hymnis et cánticis spiritálibus, cantántes et psalléntes
in córdibus vestris Dómino.

Grátias agéntes semper pro ómnibus, in nómíne
Dómini nostri Iesu Christi, Deo et Patri.

Verbum Dómini.

Alleluia

Io 6, 56

R. Alleluia. **¶** Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánquinem,
in me manet, et ego in eo, dicit Dóminus.
R. Alleluia.

Evangelium

*Caro mea verus est cibus,
et sanguis meus verus est potus.*

¶ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem **6, 51-59**

In illo témpore: Dixit Jesus turbis:

« Ego sum panis vivus qui de cælo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in æténum;
panis autem quem ego dabo, caro mea est pro mundi
vita ».

Litigábant ergo Iudéi ad ínvicem dicéntes: « Quó-
modo potest hic nobis carnem suam dare ad mandu-
candum? ».

Dixit ergo eis Iesus:

« Amen, amen dico vobis: Nisi manducáveritis car-
nem Fílii hóminis et bibéritis eius ságuinem, non ha-
bétis vitam in vobismetípsis.

Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sán-
guinem habet vitam æténam, et ego resuscítábo eum
in novíssimo die: caro enim mea verus est cibus, et
sanguis meus verus est potus.

Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sán-
guinem in me manet et ego in illo. Sicut misit me vi-
vens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui mandú-
cat me et ipse vivet propter me.

Hic est panis qui de cælo descéndit, non sicut man-
ducáverunt patres et mórtui sunt: qui mandúcat hunc
panem vivet in æténum ».

Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

*Genuisti me virum discordiæ
in universa terra.*

Léctio libri Ieremíæ prophétæ

38, 4-6. 8-10

In diébus illis:

Dixérunt príncipes regi: « Rogámus ut occidátur homo iste; de indústria enim dissólvit manus virórum bellántium, qui remansérunt in civitáte hac, et manus univérsi pópuli, loquens ad eos iuxta verba hæc; sí quidem homo iste non querit pacem pópulo huic, sed malum ».

Et dixit rex Sedecías: « Ecce ipse in máníbus vestris est; nec enim fas est regem vobis quidquam negáre ».

Tulérunt ergo Ieremíam et proiecérunt eum in lacum Melchíæ filii Amelech, qui erat in vestíbulo cárceris, et submisérunt Ieremíam fúnibus in lacum, in quo non erat aqua sed lutum; descéndit itaque Ieremías in cænum.

Et egréssus est Abdémelech de domo regis et locútus est ad regem dicens:

« Dómine mi rex, male fecérunt viri isti ómnia quæcúmque perpetrárunt contra Ieremíam prophétam, mitténtes eum in lacum, ut moriátur ibi fame: non sunt enim panes ultra in civitáte ».

Præcépit itaque rex Abdémelech Æthíopi dicens: « Tolle tecum hinc trigínta viros et leva Ieremíam prophétam de lacu, ántequam moriártur ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 39, 2. 3. 4. 18 (R.: 14 b)

R. Dómine, ad adiuvándum me festína.

² Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi. R.

³ Et exaudívit clamórem meum,
et edúxit me de lacu misériæ et de luto fæcis;
et státuit super petram pedes meos,
et firmávit gressus meos. R.

⁴ Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro.
Vidébunt multi et timébunt,
et sperábunt in Dómino. R.

¹⁸ Ego autem egénum et pauper sum;
Dóminus sollícitus est mei.
Adiútor meus et liberátor meus tu es;
Deus meus, ne tardáveris. R.

Lectio secunda

*Per patientiam curramus
propositum nobis certamen.*

Léctio Epistolæ ad Hebræos

12, 1-4

Fratres:

Et nos tantam habéntes circumpósitam nubem téstium, deponéntes omne pondus et circúmstans nos pecátum, per patiéntiam currámus propósitum nobis certámen, aspiciéntes in auctórem fideli et consummatórem Iesum, qui pro gáudio sibi propósito sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera throni Dei sedet.

Recogitáte enim eum qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradictiómem, ut ne

fatigémini ánimes vestris deficiétes. Nondum usque ad sanguinem restitistis advérsus peccátum repugnantes. — Verbum Dómini.

Alleluia

Io 10, 27

R. Allelúia. ¶ Oves meæ vocem meam áudiunt, dicit Dóminus; et ego cognósco eas, et sequúntur me.
R. Allelúia.

Evangelium

Non veni dare pacem, sed separationem.

† Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 12, 49-53

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Ignem veni mítttere in terram, et quid volo? Si iam accénsus esset! Baptísma autem hábeo baptizári, et quómodo coárter usque dum perficiátur!

Putátis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separatióinem.

Erunt enim ex hoc quinque in domo una divísi, tres in duo, et duo in tres, dividéntur pater in filium et filius in patrem, mater in filiam et filia in matrem, socrus in nurum suam, et nurus in socrum ».

Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera nostra, quibus exercéntur commércia gloriósa, ut, offeréntes quæ dedísti, teípsum mereámur accípere. Per Christum.

Præfatio de dominicis « per annum », pp. 752-759.

Ant. ad communionem

Ps 129, 7

Apud Dóminum misericórdia,
et copiosa apud eum redémpcio.

Vel:

Io 6, 51-52

Ego sum panis vivus,
qui de cælo descéndi, dicit Dóminus:
si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in æténum.

Post communionem

Per hæc sacraménta, Dómine,
Christi partícipes effécti,
cleméntiam tuam humíliter implorámus,
ut, eius imáginis confórmes in terris,
et eius consórtes in cælis fieri mereámur.
Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum

Ps 83, 10-11

Protéctor noster, áspice, Deus,
et résponce in fáciem Christi tui,
quia mélior est dies una in átriis tuis super mília.

Collecta

Deus, qui diligéntibus te bona invisiólia præparásti,
infunde córdibus nostris tui amoris afféctum,
ut, te in ómnibus et super ómnia diligéntes,
promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant,
consequámur.

Per Dóminum.